



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011857X**

§. 66. Patriarcharum Constantinopolitanorum Successio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

Sæcul. XVI. A. C. 1555. *cenſuræ contra Canonicos Lugdunenſes continentur, ut ea, quæ ſint expungenda juxta decretum, expungat, præſentibus etiam Notariis, ſi opus ſit.*

§. LXVI.

*Patriarcharum Conſtantinopolitanorum ſucceſſio.*

*Turco Græcia l. 2.  
Spond. n. 20.  
Onuphr. in  
Chronic.*

**H**oc item anno Domini milleſimo quingentefimo quinquageſimo quinto Joſephus III., ſeu Joaſaph II. Dionyſio in Græco Patriarchatu Conſtantinopolitano ſucceſſerat. Hic novem, aut decem annis hac dignitate fulgebat, prout ex inaugurationis diplomate conjicere licet; poſtquam enim ſua nimia arrogantia cum ſuo Clero continuas habuerat altercationes, de ſimonia convictus omnibus adeo inviſum ſeſe reddebat, ut Anno Chriſti milleſimo quingentefimo ſexageſimo quinto a Græcis Præſulibus una congregatis fuerit exauctoratus, eique ſuffectus Metrophanes Cæſareenſis: tum vero Joaſaphus, qui Adrianopolitanus erat Metropolita, ſuis artibus, ac muneribus tantum effecerat, ut ſolita muneris largitio, quæ antea ad tria millia aureorum aſcendebat, ad duo duntaxat millia reduceretur. Hic idem pluribus aureis, & argenteis vaſibus Conſtantinopolitanam ornabat Eccleſiam, ipſumque Palatium pluribus ædi-

ædificiis augebat, illudque mæniis cingebat. Inter Patriarchas vero Latinos mortuo Fabio Columna hanc dignitatem consequebatur Ranutius Farnesius, eaque usque ad obitum suum, prout testatur Onuphrius, per decem annos fruebatur; id vero non omnino temporis rationi consonum videtur; quippe in Cabrera legimus, quod Scipio Rebiba, quem Paulus IV., ut memoravimus, Cardinalem creaverat, Anno salutis nostræ millesimo quingentesimo quinquagesimo nono Constantinopolitanus Patriarcha fuerit renuntiatus, eique Prosper Rebiba illius Nepos successerit, Patruus vero nonnisi Anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo quinto hunc titulum adeptus sit.

§. LXVII.

*S. Ignatii epistola ad Abyssinorum Regem.*

Postquam tres illi Jesuitæ, qui a D. Ignatio in Æthiopiam destinabantur ad annuntiandum Christi Evangelium, itineri sese accinxerant, eorum Præpositus Generalis epistolam ipsis tradidit, quam ad Claudium Abyssinorum Regem in Religione Romana enutritum deferre jubebantur. His literis Ignatius hæc perscribebat: „Serenissimus Portugaliæ Rex pro ea sollicitudine, ac eximio,

X 2

quem

Sæcul. XVI.

A.C. 1555.

*Orland. hist.*

*Soc. l. 14.*

*n. 105. & seq.*

*Maffæo l. 16*

*Vide supra*

*c. CL. & S.*

*XLII. &*

*XLIII.*